





1789.

18. Puellmannus, Trs. Lud. Sm., fac. jur. pro cancellario:
Miscellaneorum ad jus pertinentium specimen IX.
Programma, quo sollemnia doctoralia Trani Victoris
Bastoke indicit.
19. Puellmannus, Trs. Lud. Sm., fac. jur. pro cancellario:
Miscellaneorum ad jus pertinentium specimen X.
Programma, quo sollemnia doctoralia Curis. Fovneri
Curtii indicit.
20. Puellmannus, Trs. Lud. Sm., fac. jur. pro cancellario:
Miscellaneorum ad jus pertinentium specimen VIII.
Programma, quo sollemnia inauguralia Joannis
Klavis Luthertate indicit.
21. Puellmannus, Trs. Lud. Sm., fac. jur. pro cancellario:
Miscellaneorum ad jus pertinentium specimen VI: Program-
ma, quo sollemnia inauguralia Adalphi Wencesla Schmittii
indicit.
22. Puellmannus, Tomis Ludov. Smolai: De distributione
inter amicum, occidendi doctorem et indirectum
e jurisprudentia Criminali distinctio.

1789.

23. Richterius, Christ. Emil: De servitute a proprio
lati domus fundi pachtueris imponenda ad
115 Bull. l. 16 Oct 117 pr. d. de unipactis.
24. Rosenmueller, A. Georg, fac. jur. procan cellarius:
De fatis interpretationis sacramentum litterarum in
ecclesia Christiana. Programma, quo sollemnia in an-
gustia Grollati Augusti Baumgarten Crusii in-
dicit.
25. Sattlerus, Carolus Augustus: De causis Constitutionum
principum in corrupta Christianorum disciplina ~~quae~~
quaerendis
26. Schmidtus, Wolphus Wenceslaus: De vi et officio
lati jurisjurandi
27. Reimnitz, Benjamin Traugott: De imputatione delicti
indirecti
28. Hockmann, Augustus Cornelius: Elector Tu. Georgius II.
Saxoniae et Lusaciae Legator. Programma, quo so-
lemnia Doctores indicit.

1789.

29. Weisse, Antonium Emeritum: *Ordine succedenti
in serenissima gente Saxonia-Albertina*
30. Wendlerus, Augustus Adolphus: *De quinquennalibus
et decennialibus imperatorum Romanorum.*
31. Windler, Carolus Gorpheus, *fac. jur. procuratorum
fac. jur. ordinarius senior etique assessor:*
honolatio XIII p. 5. ex adversariis juris judicialis.
*Programma, quo solennia doctoralia Carolus Hauser
Windleri indicit.*
32. Windler, Carol. Gorp. de: *De jure jurando.*
33. Windler, Gorpheus Ludovicus: *Finis exceptionis
non adimpleti contractus et praestanda evictionis*
34. Windler, Gorpheus Ludovicus: *De praedicatione judiciali
in testamento illiterati haud necessaria.*

[Faint, illegible handwriting in a cursive script, likely a historical document or manuscript.]



PROCESSIONALIS
IN
SOLLENNIA INAVITUALIA
JOHANNIS BAPTISTAE
MARTINI





DISSERTATIO PHILOSOPHICA
EXHIBENS
DE IMPVTATIONE DOLI
INDIRECTI
SPECIMEN I

QVAM
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
AVCTORITATE

DIE XVIII. APRILIS A. O. R. MDCCLXXXIX

AD DISCEPTANDVM PROPONIT
BENIAMIN TRAVGOTT STEINMETZ
ZITTAVIA-LVSATVS

PHILOSOPHIAE DOCTOR, BONARVM ARTIVM MAGISTER
ET IVRIS VTRIVSQVE BACCALAVREVS

ASSVMTO
VALERIO FRIDERICO REICHEL
OBERODERWITIO-LVSATO

LIPSIAE
EX OFFICINA KLAVBARTHIA

12
1789 27
140



5

PHILOSOPHIAE THEORICA

GENERA

DE IMPERATIONE DOLI

IN D. R. E. T.

AMPLISSIMO D. R. E. T. ORDINE

REPUBLICAE

VALENTINUS

LIBER




Cum studiorum meorum ratio postularet, vt Exercitatione Academica Amplissimo Philosophorum Ordini, quemadmodum super doctrinae parte, cui me proprie dicaui, philosophari didicissem, probarem; argumentum, de imputatione doli indirecti, quod mihi primum in mentem venerat, eo lubentius retinui, quo magis vtrique cathedrae, in qua mihi deinceps comparandum video, aptum esse existimabam. Ne igitur alia, quam, quae sanae rationis ope contra dolum indirectum disputari posse videbantur, in hoc libello vel expectentur vel quaerantur, ita in eo elaborando versatus sum, vt favori considerem, qui studio communis felicitatis et commodis generis humani debetur. Talis quidem fauor magnam vtrique vim adhuc habuit, ad rem nostram criminalem humaniorem atque tolerabiliorem reddendam, cuius contemplatione Philosophi optima iamiam excogitarunt consilia atque praecepta ad rempublicam applicanda. Inter quos inprimis eminent: BECCARIA ¹⁾ *Exc.* GME-LINVS ²⁾ *Perillustr. de* GLOBIG et *Ampl.* HVSTE-

A 2

RVS

1) *Dei delitti e delle pene, Venezia 1781.* 8. germanice verf. a b. HOMMELIO cum notis edit. noviss. 1788. 8.

2) *Grundsätze der Gesetzgebung über Verbrechen und Strafen etc. Tübingen, 1785.* 8.



RVS³⁾, FILANGIERI⁴⁾, quorum prior inter ceteros multum contulit ad crudelitatem et negligentiam ex foro criminali propulsandam, felicitatem humani generis promouendam atque incolumitatem multorum miserorum conferuandam.

Nonne autem cuiuslibet hominis est officium, in tanta abundantia tot Principum optimorum, quorum summa virtus in clementia versatur, in tanto studio iudicum ipsorum bene cordatorum, miseram captiuorum vitam leniendi, in tanto labore lureconsultorum, barbaram atque inueteratam crudelitatem ex foro criminali propellendi, denique omnia, quae ad delinquentes pertinent, purioribus atque sanioribus Philosophiae praeceptis pro seculi nostri subtilitate moribusque mollioribus accommodandi,

3) a) *Abhandlung von der Criminal-Gesetzgebung etc. Zürich 1783. 8.*

b) *Vier Zugaben zu der gekrönten Schrift von der Criminal-Gesetzgebung, Altenburg 1785. 8.*

4) *La scienza della Legislazione del Cavalier GAETANO FILANGIERI, Neapoli, 1780. 1781. Venezia, 1782. Firenze 1782.* Huius libri iam quatuor exstant partes germanice versae. Huc

praecipue pertinent *Pars III. et IV. germanice versae sub titulo: System der Gesetzgebung dritter Band, aus dem Italiänischen des Ritters CAIETAN FILANGIERI, Anspach 1786. et vierter Band, Anspach 1787. 8.*

Cuius auctoris vitam nimis repente sinitam omnes lugent. Musae, omnesque boni, pie ipsum venerantes. Supremum enim diem obiit 27. Iulii anni praeterlapsi.

dandi, nonne, inquam, cuiuslibet hominis officium est, omnes, quas summum Numen ipsi dedit, vires adhibere, ad aliquid conferendum, vt tandem melius et mitius cum miseris illis agatur, qui carceribus inclusi gemitu rumpuntur, fame cruciantur, squalore obfiti conficiuntur, sanie ac tabo dissolunt, et persaepe poena iusto grauiori plectuntur? Ita fere mecum cogitans, putabam, me forsitan etiam posse, si coeptis fortuna faueat, lapillum ad illud magnificum aedificium, quod posteritati, maioribus suis certo benedicturae, splendescet, exstruendum admouere; praesertim quod videbam, omnes ^{s)} paene inter paucos, qui

A 3

s) veluti:

a) GVIL. HIER. BRVCKER
progr. an homicidium absque animo necandi sit capitale, et vnde probetur is animus? occasione l. 14. D. ad L. Corn. de sicar. Ienae 1712. recus. cum eiusd. Comment. de confiscatione bonor. ibid. 1755. 4.

b) IO. CHR. HARTVNG *disp. de homicidio indirecto Ienae 1684.*

c) LEYSERVS *in meditat. ad π. spec. 603.*

d) CARPZOVIVS *Part. I Rerum Criminal. qu. I. num. 15. seqq.*

e) BOEHMERVS *ad Carpzov. qu. I. obs. 4. et in Meditat. ad C. C. C. art. 137. §. 4. seq.*

f) *Illustr. KOCHIVS in Institut. Iuris Crim. §. 12. 439. seqq.*

g) *Exc. QVISTORP §. 35. 223.*

h) *KRESSIVS ad C. C. C. art. 146. §. 2. no. I.*

i) *MEISTERVS §. 40. 76. et in rechtlichen Erkenntnissen Det. 100.*

Quorum

qui ex instituto de hac re scripsissent, praeter vnum *Illustr. NETTELBLADT* ⁶⁾ parum concinne atque accurate nec secundum vera Philosophiae praecepta, quae ad omnes possent delictorum species, ubi res et ratio permittit, applicari, meo quidem iudicio scripsisse, multo minus, quoad fieri possit, rem exhaustisse.

De hac igitur causa nuper controuersia mota inter *Illustr. CHRISTIANIVM* ⁷⁾ et *Exc. ESCHENBACHIVM* ⁸⁾, quum vltimum supplicium sumere vellent iudices,

Quorum *Illustr. KOCHIVS*, *LEYSERVS*, *BOEHMERVS*, *CARP. ZOVIVS* meliorem huius delicti quidem explicationem tentarunt, reliqui autem horum tantummodo opiniones repetunt, aut narrando eius mentionem tantum fecerunt, sententiam supprimentes propriam.

6) in *diff. de homicidio ex intentione indirecta commisso*, Halae 1756. *recus. 1772.* qui, quod pace tanti Viri dixerim, praecipue tamen ad duellum fortasse tantum respexisse videtur.

7) qui anonymice scripsit: *Die Chimäre eines Todtschlages aus indirectem Vorsetze*; quae tractatio

recepta est: in *des Niedersächsischen Archivs für Jurisprudenz und iuristische Litteratur, ersten Bandes erstem Stück für den Januar, 1788. pag. 3—30.* et contendit, nullum plane existere dolum indirectum, eumque, qui non ex dolo directo deliquit, poena capitali non esse afficiendum, sed eodem loco habendum, quo is, qui ex culpa commiserit.

8) *D. Io. Christ. ESCHENBACH* de dolo indirecto delinquentium inprimis homicidarum commentatio.

Prostat in des Niedersächsischen Archivs ersten Bandes zweytem Stück für den Februar 1788. pag.

dices, inter quos adfessor et CHRISTIANIVS erat, de homicidii reo per pugnam singularem, siue duellum, commissi, vbi secundum CHRISTIANIVM res plana erat, occisorem solo defensoris nomine egisse; super hac ipsa re equidem, composita mente et voluntate, operae pretium esse duxi, plenius disputari, eamque, si fieri possit, ad viuum refecari.

SECTION I

Generalia continens.

Prooemium.

Nullam vero sane partem Iurisprudentiae tam arctam Philosophiae praeceptis esse coniunctam, quam hanc quae de delictis praecipit *), diuersaque obuientia delicta,

pag. 65—82. Quo programme ad Festum Natiuitatis Christi anno 1787. publici iuris facto *Eschenbachius* refutare studet *Christianium*. Illi vero iterum hic respondet: *In des neuen Kielischen Magazins vor die Geschichte, Staatsklugheit und Staatenkunde, zweiten Bandes drittem Stück, Kopenhagen, 1788.*

pag. 365—376.

*) Vnde recte de quacunque

licet parte Iurisprudentiae differens scribit *QVINTILIANVS XII. Instit. Orat. 2.* „Omnis iuris quae-
„stio verborum proprietate, aut
„aequi disputatione, aut volun-
„tatis coniectura continetur. Quo-
„rum pars ad *Rationalem*, pars
„ad *Moralem Philosophiam*
„redundat.“

et *CICERO de Legib. I, 5.*

Iurisprudentiam non a praetoris edicto,



liſta, vt felicitati hominum conſulatur, ex ſolis Philoſophiae principiis eſſe diiudicanda, quis eſt vir bonus, qui neſciat 9)? Quae cauſa eſt, cur equidem conſultius putauerim, hanc rem vniuerſam, mera ratione metiri, et deinde principia inde deducta, quantum in me eſt, ad ſpecies in foro criminali occurrentes applicare. Quapropter conſtitui, hanc tractationem in duas partes diuidere, in quarum prima inueſtigare ſtudebo, quomodo in delictis, ſi puniendus ſit delinquens ex dolo indirecto, ſecundum ſanam rationem et praecepta philoſophica agendum ſit: in altera vero parte quaeram, an haec axiomata, haec principia et praecepta philoſophica poſſint et debeant ad ſpecies diuerſas delictorum in foro criminali obuias transferri, quae ratione, ſi iuſte agere cupiamus, progrediendum ſit; denique in id inquirere tentabo, an in iure recepto atque inſtitutis hodiernis doli indirecti veſtigia reperiantur.

His igitur praemiſſis, beneuoli lectores facili negotio ſibi perſuadebunt, multum prodeſſe, quaedam, in quantum huc pertinent, ex intimis ſcholae philoſophicae praeceptis a me depromi, quae licet Philoſophis trita ſint, tamen, quoniam ad fundamenta ponenda maxime mihi conducunt,

ſto, ut plerique ſua aetate fecerint, neque e XII. tabulis, ſed penitus ex intima philoſophia petendam putabat.

9) cf. BECCARIA; de GLO-

BIG et HVSTER; REGNER ENGELHARD im *Verſuch eines allgemeinen peinlichen Rechts*. Frankf. und Leipzig 1756. 8. et FILANGIERI paſſim.

ducunt, omittenda non putavi, vt quilibet statim videre vno obtutu possit, quomodo omnia cohaereant, cur et qua de causa hac et non alia ratione ex prioribus secundaria et extrema fluant, nec vnum idemque repetita vice dicere me oporteat.

§. I.

De libera hominum voluntate.

Omnis cognitio doctrinae de dolo, atque scientia aliarum Iuris criminalis partium soliuaga et ieiuna mihi videtur, nisi ad naturam hominis, de cuius factis illicitis iudicandum est, ascendat Iureconsultus, nisi accurate rationes et causas earumque vim inuestiget, et sana ratione duce omnes, quae circumstant, res, penetret, tandemque ex praeceptis philosophicis videat, qua ratione, quoque modo facinus admissum legibus vel obnoxium, vel ab iis liberum sit. Cum vero haec omnia dilucidius cerni non possint, nisi in animum voluntatemque eius, qui commisit, inquiramus, necesse est, vt moneamus et ex philosophia paulo altius repetamus, qualis voluntatis humanae conditio et natura sit, deinde ad alia Philosophiae transeamus argumenta, quae cum omnibus his proponendis ita cohaerent, vt nisi labi et omnia humana contemnere malimus, in omnibus, quae obueniunt, huius generis formis, necessario ponderanda, et nullo modo negligenda videantur.

B

Volun-

Voluntas vero homini diuinitus data ita comparata est, vt pro cognitione sua reiue scientia, quam sibi vel bonam vel malam fingit, idem et agere possit, quod non agit; non agat, quod tamen agere viribus suis possit; pro parte omittat, pro parte agat; prouti ipsi aut iucundum, aut vtile videtur; hac vel alia ratione agat, vel non agat; cupiat, quod et aspernari poterat; in quibus omnibus a brutis, in quibus summa differentia cernitur, homo, longissime distat.

§. II.

De actionibus humanis.

Homo interdum actiones suscipit et exsequitur, quae, cum easdem mente agitabar, in vniuersum bonae ipsi videbantur, quarum si sciuisset malum euentum, easdem plane aspernatus esset. Quis enim, quae contra suam ipsius, eorumque, quos amat, salutem tendunt, hoc est, cum fine sibi proposito prorsus pugnant, tamen agat et exsequatur? Ex his, atque ex descriptione voluntatis humanae §. antecedenti data, prono aluo fluere mihi videtur; Primum: *Actiones hominum quasdam esse in vniuersum liberas*; Deinde: *Actiones hominum alias ex parte solummodo esse liberas*; Nam

- I. Actiones, quarum euentus atque exitus agens praecidere poterat, sunt liberae in primo gradu;
Hae duplicis videntur esse generis:

a) Actio.

- a) Actiones, quarum et exitus et euentus homo clare praeuidebat; quae sunt liberae in summo gradu;
 b) Actiones, quarum euentus atque exitus solummodo per umbram quasi agens utcumque videre et diuinare poterat; quae liberae minori sunt gradu.

II. Actiones vero, quae ita sunt comparatae, ut eorum euentum atque exitum verum et consecutum agens nec expectabat, nec suspicabatur, sed pro cognitione sua, scientia et experientia alium plane volebat atque cupiebat, pro parte tantummodo liberae videntur, quoniam agens partim id expectabat, quod pro parte sequebatur, partim id consequebatur, quod pro re nata ne diuinare quidem poterat; quae actiones inferiori gradu liberae videntur. Sunt vero et haec, meo quidem iudicio, duplicis generis:

a) Actiones, quarum euentum atque exitum agens quidem non expectabat, ac ne agendo quidem diuinabat, sed poterat tamen, cognitione atque scientia sua, experientia edoctus, ab aliorum exemplis, atque ex rerum connexione videre, aut saltem conicere et argumentari, alium, quam quem expectabat, actionis suae posse esse exitum atque euentum;

b) Actiones, quarum alium, quam quem sibi agens proposuerat, euentum atque exitum nec cognitione sua, nec scientia assequi poterat, ut breui dicam, quarum euentum ne diuinando, ne coniectando quidem assequi

B 2

poterat;



poterat; illae maiori gradu sunt liberae, hae certe minori et quidem infimo, immo mallet dicere: hae plane liberae esse non possunt.

Ex his praemissis statuo:

- a) Quamplurimas actiones humanas, ut mihi quidem videtur, ex pluribus partibus compositas esse, quarum altera pars bona, altera mala esse potest, quod vel ex intentione et consilio agentis, vel ex eventu malo, qui sequebatur actionem, vel ex utroque colligendum esse sentio;
- b) Quamplurimas vero etiam actiones humanas ita esse comparatas, ut pro simplicibus habeantur vel per se bonis, vel per se malis, quoniam omnia, quae ad eiusmodi actiones, earumque perfectionem pertinebant, ex solo consilio, atque voluntate agentis fluebant, et, quoniam omnia praesidia ad finem propositum consequendum pertinentia, adhibebantur, necessario fluere debebant. Actiones illae compositae diversi generis sunt. Quaedam enim ita comparatae esse videntur.
- aa) 1) *ut altera pars sit bona, altera sit mala.*
- aa) 2) *ut utraque pars sit mala.* Veluti: si animus laedendi iniustus adhibebatur, nimirum vulneratio, quae est prior pars actionis malae; sed sequebatur ex hac vulneratione, quam solam sibi agens proposuerat, praeter spem et intentionem mors laesi; quae est

est altera pars malae actionis. Prior huius actionis pars certo est libera; de altera vero plane idem praedicari non potest, vel duntaxat non eodem gradu.

Iam porro: Omnes actiones humanae vel

A) *internae* sunt, vel B) *externae*.

Quarum illae, nempe internae, efficiuntur ab agente ipso, agitando, cogitando in solo eius animo et quidem ita, ut motus quidam corporis plane nullus adsit. Externae vero compositae esse videntur tam ex libera animi deliberatione, quam ex libero corporis quodam motu, nulla vi externa concitato. Altera cum altera coniuncta sit necesse est, ut externa oriatur exinde actio libera. Iam vero et interna, et externa actio libera esse potest mala; deinde potest interna bona esse, externa vero malum producere praeter spem effectum; et vicissim potest etiam interna mala esse, quae externe ad bonum effectum conuertitur.

Secundum quae decerno:

A α) *Actiones quasdam ita esse actionibus humanis commixtas, atque interdum necessario cum his concurrere, ut separari facto agentis et praevideri plane ab hoc non possint.*

A β) *Deinde: Actiones quasdam ita esse comparatas, ut rerum naturam semper sequantur et praevideri possint; quarum priores metaphysicas, posteriores physicas*

B 3

Philoso.

*Philosophi appellant, quae iterum in bonas et malas di-
vidi possunt.*

Quis igitur est, qui non videat, eundem imputa-
tionis gradum in his diuersis actionum speciebus plane lo-
cum habere non posse? vti infra (§. XI.) de imputatione
demonstrabitur.

Vt vero exemplis quibusdam, ad quae mihi hanc vni-
uersam rem formavi, quae supra posui, illustrem, faciamus :

- I. a) Nocium delectari homicidii; caedem mente agi-
tat, quaerit occasionem eius impune committendae,
et tandem per longum temporis spatium prudens ac
sciens adhibitis telis letiferis aliisque opibus consequitur
id, quod voluit; faciamus, hunc legem sciuisse, quae
necem hominis prohibet, hunc plane compertum ha-
buisse, telo adacto infelicem necatum iri; nec ignorasse,
quae poena maneat eum, qui alterum occidit; Haec
eius actio, quia perfecte sciuit et ponderavit et media
iusta, et euentum et exitum, non solum in summo gra-
du est libera, sed etiam simul est actio mala simplex,
interne et externe libera. [bb.) A.) B.)]
- I. b) Quodsi vero duo singulariter certantes sibi stipulan-
tur, vel proponunt, se a consilio occidendi alienos
esse, sed solummodo, vt vtrique satisfiat, sese mutuo
vulnerare velle, sed infelici casu fit, vt alter alterum
interficiat; horum actio diuidenda mihi videtur in duas
partes; [aa) 2)] prima pars, nimirum vulneratio, li-
bera

bera est in summo gradu; altera pars, scilicet actio occidendi, minori gradu esse videtur libera, sed utraque tamen pars actionis, quia animus alterum laedendi cupidus adfuit, prava atque illicita est.

- II. α) Quis vero non videt, patrem, qui quidem sciat, se facile irae furore corripi, animo castigandi puerum immorigerum, quem valde amat, et, arrepto repente quouis, quod ad manum esset, telo aut missili, infelici ictu eum occidat, minori gradu libere agere? nam suspicari quidem poterat hanc infelicem filii necem, at, quis, missili eiusmodi repente correpto, iratus omnia deliberare potest? Quia igitur clare praevidere hunc exitum infelicem plane non poterat, actio eius non in uniuersum, sed solummodo pro parte est libera; et quidem ita, ut prima actionis pars sit actio adeo licita, bona et libera interne et externe, altera vero illicita quidem, sed plane inferiori gradu externe libera. [aa) r) A.) B.)]

- II. β) Si vero pater lenis, qui nunquam immodice irascitur, in disciplina moderata immorigerum necat filium, baculo, quo secundum rei naturam temperate castigans alias nunquam castigandum enecat; huius actio respectu castigationis pro libera legitima omnino putanda, sed sane non ratione homicidii infeliciter commissi; nam haec secundaria pars actionis mihi potius videtur esse actio metaphysica; et prior quidem interne et externe est



est iusta, posterior externe iniusta, atque mala. [aa) 1)
A) B) Aα)] *).

§. III.

De causis, quibus homines ad agendum impelluntur.

Libera esse nulla actio humana potest, nisi praece-
dat causa ¹⁾, secundum quam homo libere agit. Haec
causa siue ratio est vel *bona* vel *mala*; si bona est, tunc
et actio eius bona sit necesse est; si est mala, etiam actio-
nem malam esse oportet. Quodsi causa, qua agens ad
agendum impellebatur, per se bona praeter opinionem et
voluntatem agentis, effectum producit infelicem, propter-
ea in causam malam non mutatur; nec actionem per se
bonam ex causa per se bona fluentem propterea malam di-
cere licet, quamquam pro diuersa cognitione agentium,
et scientia rerum, quae circumstant, gradus actionum
liberarum

*) Multae sunt, praeter has
expositas, intermediae ac subspe-
cies ordinatae, quae ad plura,
quam ad solum homicidium, deli-
cta applicari possunt; sed ceteras
omnes, ne iusto longior sim, vl-
teriori disquisitioni referuo, quod
et de aliis praecedentibus ac sub-
sequentibus dictum esse cupio ar-
gumentis.

1) Plura huc pertinentia da-
bunt:

a) *FEDER Untersuchung über
den menschlichen Willen; im 3ten
Theile des Vten Buchs, Vtem
Hauptstücke §. 68. p. 433.*

b) *Exc. WIELAND im Geist
der peinlichen Gesetze; 1ster
Theil. §. 75. 76. seq. p. 109. cf.
etiam CICERO de Partitione
Oratoria cap. 32. et seqq.*

liberarum differunt; quippe quod ex iis, quae infra §. V. et §. VI. dicentur, clarius patebit. Etenim actio castigandi filium immorigerum patris lenis, est et manet actio bona, licet exinde mors filii sequuta sit, quoniam causa, quae patrem ad agendum impellebat, bona erat; et licet per ultimum supplicium, quod a scelerato supra [§. antecedenti I. a)] descripto forte sumitur, alii latrones forsitan a similibus malis actionibus deterreantur, illius tamen actio mala, quam mediate bona sequebatur, ob hanc superuenientem causam atque effectum bonum, respectu sceleris a malefico admitti, in bonam mutari plane non potest.

§. IV.

De libertate actionum humanarum, et de earum effectis et consecutionibus.

Ex omnibus vero actionibus humanis efficitur aliquid *), quod vel bonum, vel malum est, siue tantum pro parte bonum, pro parte malum. Quodsi eiusmodi effecta, exitus atque euenta in vniuersum non pendeant ab hominum libertate, sequitur, vt in vniuersum etiam hominum non possint adscribi libertati. Nam cum quaedam sint, quae necessario interdum ex actionibus humanis praeter

*) Plura hac de re docet *lichen Gesetze; im ersten Theile, Exc. WIELAND im Geist der pein-* p. 94. §. 66. *segg.*

praeter spem et opinionem agentium exeant et emanent, et per rerum naturam ex iisdem proficiantur [§. II. Aa) A6)], facile patet, effectus, qui actiones sequuntur humanas, vel esse, vel non esse liberos.

Effectus liberos appello, qui praevideri aut saltem conici poterant, siue agentes praeuidimus, siue non praeuidimus, (igitur gradu iterum differunt,) si penes nos stabat, hos impedire effectus. Eiusmodi vero effectus, quos nec praevidere poteramus, nec coniectura assequi, quibus adeo nec occurrere, nec impedimentum opponere poteramus, hos liberos praedicare plane non licet. Igitur eadem actio mala, ratione alterius hominis magis libera, quam intuitu alterius, praedicanda est. Stupidi eodem, quo sapientes, rerum gnari, gradu libertatis non gaudent. Nam actio hominis libera, ut ex eadem liber effectus descendat, quatuor in se habeat necesse est: primo, plenam aliquis rei perficiendae cognitionem internam concipiat; deinde, delectetur eadem, aut auersetur eandem; proin foueat et alat eandem, aut negligat et repudiet; iam porro, adiungat cupiditatem, ad rem mente agitatum exsequendam; denique quaerat occasionem eius perpetrandae eaque reperta utatur.

Sic animo deliberato occidens primo plenam sibi format homicidii cognitionem; deinde ex hac cognitione concipit delectationem alterum interficiendi; quae delectatio deinceps generat cupiditatem, quaerendis mediis idoneis

neis et opportunitati temporis intentam; tandem, omnibus praeparatis et ponderatis ad actum ipsum facinorosum progreditur. Aliter plane rem sese habere in homicidio animo indirecto, siue contra animi propositum commisso, per se patet. Simulac enim omnia haec modo dicta non adfint, nec id, quod efficitur, in vniuersum descendat ex libertate agentis, sed potius actio quaedam metaphysice vel physice talis simul concurrat, aut in ignorantia agentis lateat, quoniam interna agentis actio cum externa non conspirat, agensque hunc consequutum effectum nec sperabat, nec volebat, actio eius, quam alius, quam quem sibi formabat, sequitur effectus, plane dici non potest in vniuersum libera.

§. V.

De gradibus siue modis libertatis humanae.

Ex his antecedentibus fluere prono alueo mihi videtur: *Gradus actionum liberarum hominum esse diuersos*; nam qui rem perficiendam varie et diuerso modo mente agit, commutationesque eiusdem perfecte deliberat atque cum animo reputat, eius actio perfecte est libera. Qui contra agens hoc modo non procedit, nec procedere potest, eius actio inferiori gradu est libera; si plene penes agentem stat, an actionem mente agitatum atque deliberatum perficere velit, et aequae facile contrarium eius efficere

valeat, huius actio plenam libertatem habet. Cui vero haec non relinquatur optio, eius actio minori gradu est libera.

§. VI.

Continuatio.

Quodsi indagare et scire volumus, an actio quaedam sit actio libera, aut effectus quidam ex actione libera proveniens liber praedicari possit, omni laborare debemus studio, ut certum fiat, an etiam haec persona, cui hanc actionem, eiusque effectum imputare volumus, causa vera huius actionis sine alterius cuiusquam accessione sit, atque actionis consequentiam sponte prouocauerit, an potius in rebus circumstantibus, quae vel nullo modo, vel non prorsus a libera huius hominis voluntate pendebant, quaerenda sit. Ex quo sequitur, homicidium ex animo directo, h. e. consilio sponte suscepto commissum, plane alia esse imputandum seueritate, quam illud, quod ex animo indirecto, neque id cogitante patratum fuerit.

Quoniam vero omnem imputationem e legibus ciuitati praescriptis deriuandam esse sana ratio docet, existimaui consentaneum esse, antequam ceteras partes, quae ad imputationem pertinent, expendamus, primum quaedam de legibus, et, quae ex his ducuntur, nempe de poenis, quoad huc facere videntur, monere atque praemittere.

§. VII.

§. VII.

De Legibus.

Leges, si ad ciuitates respicimus, sunt normae, secundum quas ciues modum tam agendorum quam omittendorum componere debent, et quod ad iudices attinet, regulae, ad quas eos exigere et pensitare actiones ciuium oportet. Enimuero his normis cum vel singula tantum delicta adigi, vel plures species facinorum subiici possint, sequitur, leges esse vel regulas vniuersales, quibus nimirum omnes species sub eodem genere comprehensae subsunt; vel particulares, quibus vna tantum actio eiusmodi, quae in plures species non possit diuidi, comprehensa et subiecta est. Quilibet vero facile intelligit, si ad delicta hanc applicamus diuisionem, nullam plane legem criminalem etiam a prudentissimo legislatore ferri posse ita omnibus numeris absolutam et perfectam, vt in sancienda lege omnium omnino specierum aliquando obuientium rationem habere et sanctionem ad omnes has species dirigere valeat, nec vero multas, propter humanam infirmitatem existere posse leges singulares, ab omni parte perfectas. Nam cum actiones illegitimae (*ἀνομιαι*) tam variae atque diuersae sint, vt, vel sapientissimus iis satis prouidere non possit, ingeniumque et operam frustra consumat tot legibus ferendis atque promulgandis, quot sunt pravae hominum actiones, quae in dies accumulari, et mutato subinde



vultu, Protei more comparere solent, sane legislatoris officio satisfit, ferendo leges vniuersales, quae ex sana ratione atque ex philosophiae praeceptis ducuntur. Iudicibus vero danda est potestas, varias, quae in foro criminali obueniunt, species delictorum, secundum regulas imputationis veras eiusque diuerfos gradus, legibus earumque rationi accommodandi.

Omnes vero leges definiunt, quomodo actiones liberae sint componendae, vt rationi legum fiant consentaneae. Complexus autem omnium actionum liberarum, quae subsunt legi, efficit legis ambitum. Ex quo sequitur, vt eiusmodi lex quandam habeat ambitum et sub se comprehendat omnes liberas illas actiones, quae secundum hanc legem institui debent. Hinc lex, ne occidas, omnes complectitur actiones, quibus hominis vitae iniuria fieri potest. Illae igitur leges, quae enunciationes vniuersales continent, sub se certe comprehendunt plures actiones liberas. Faciamus vero, adesse leges, quae singulas actiones liberas, in quas plures non cadunt species, amplectuntur, tunc haec sola tantum actio secundum hanc legem, exclusis ceteris omnibus, potest diiudicari. Ergo, quo plures actiones legi subsunt, eo maiorem habet ambitum, quo pauciores, eo minorem habet. His omnibus illud adiungo, aliam legem alia perfectiorem esse posse, et propter humanam naturam imperfectam aliter fieri non posse. Iam lex, quae vnicam tantum actionem sub se comprehendit, propter

propter rei naturam perfectior sit necesse est, quam lex, quae varias, diuersas compluresque complectitur non definitas nec definiendas actiones. Igitur officium etiam iudicis in hac lege ad causarum obuenientium species applicanda latius patet, et magis, quam in illa, extensum est.

§. VIII.

De Poenis.

Omnibus legibus, praesertim criminalibus aliqua causa inest, qua illi, qui secundum has componere actiones suas debent, moueantur et impellantur ad ea observanda, quae in legibus vel prohibita sunt, vel sancita, quae poenae nomine venit. Quodsi igitur quis punitur, semper praesupponatur necesse est, actionem eius liberam, propter quam punitur, dispositioni legis, quae hanc statuit poenam, exacte esse contrariam, ita ut ille nec minori gradu, nec maiori peccauerit, quam quem lex eiusque ratio posuit. Ex quibus intelligitur, eum, qui non eodem gradu contra legem peccauerit, iniuste poenam huius legis ordinariam pati, quoniam eius actio libera exacte, quasi e diametro non erat legi contraria, sed potius vel maiori vel minori gradu, hoc est, vel grauius, vel leuius peccauerat. Quo efficitur, ut in illo casu exasperatio, in hoc vero mitigatio poenae locum habeat, si quidem actiones hominum liberae ipsae suos secundum ea, quae supra (§. II.) dicta sunt, gradus habent.

Iam

Iam vero actiones hominum malae sunt causa, propter quam irrogantur poenae, ergo poenae earumque vis semper applicari debent pro diuersitate actionum liberarum ipsarum. Sic, in latronem, qui, dum uiuit, maximo periculo est reipublicae et a quo finis poenarum ille, ut corrigatur, certe expectari non potest, ultimum supplicium est statuendum, ut nimirum nemini in posterum noceat; in eum vero, qui tam ferreus non est, sed qui potius uitio experientiae, aut cognitionis rerum, aut alius cuiuscunque externae rei causa, ut breuiter dicam, vel sine animo delinquendi, vel sine animo idem delictum, quod ex actione sua fluebat, committendi, peccauit, et a quo non solum nullum in posterum eiusmodi delictum metuumendum, sed potius forte multum commodi in salutem reipublicae expectandum est, is certe eodem plane gradu quo ille non peccauit. Igitur, cum in pari causa cum illo sane non versatur, eadem plane poena, qua ille, certe non uidetur esse plendus. Discrimen autem hoc est, quod non internum consilium cum illo habet commune, sed tantum externum quoddam factum, quod accidens est. Denique quam finis poenarum plane alio meliori atque sapientiori instituto attingi possit, secundum ea, quae §. sequenti dicentur, poena ab hoc capitalis sumenda esse non uidetur *).

§. IX.

*) Vtrum uero poenae capi- beantur, nec ne, huius loci non
tales per fas ac iura hodie adhi- est pertractare. Sed meum esse
puto,

§. IX.

*De poenarum fine**).*

Finis poenarum multiplex esse potest; neque enim eum ita definiendum puto, vt ad quaecunque delicta commissa

puto, hac de re ita tradere, vt hodie adhuc est receptum. Hoc solummodo adiciendum esse censeo, me credere, quod Princeps, si quis sibi sumit, animo praedeliberato alterum interficere, atque contra leges peccare, ius habeat propter salutem reipublicae eiusmodi membrum societatis e medio adeo tollere, quoniam per factum suum illicitum quasi iuri suo renunciare et illi, penes quem est summa potestas, facultatem concedere videtur, hoc facinus suum coercendi atque etiam pro rerum conditione poena capitali puniendi. Deinde semper mihi persuasi, poenas capitales propter summam hominum quorundam malitiam non plane esse abrogandas, sed has potius cum poenis corporis afflictivis sapienter esse

coniungendas; his insistendum, vbi videre licet, delinquentem vel ex taedio vitae, vel ob summam malitiam mortem non timere, capitales vero poenas tunc esse sumendas, cum irreparabile damnum, si forte delinquens liberetur a vinculis, timendum est, et, si mitiores poenae forte non sufficiant.

Et quia sapientissimus legislator certe omnes species delictorum atque diuersas ipsorum commutationes nec praevidere nec diuinare potest, neque adeo gradus poenarum tam perfecte potest ponere, vt non interdum species, quae legi expresse non inest, occurrat, sane iudicium officium est, hos gradus in diiudicandis delictis accurate determinare.

D

missa vnus et idem pertinere possit. Igitur rem sic mihi
formauit:

Finis poenarum vniuersalis ad omnia pertinens delicta, est securitas reipublicae. Iam vero otium atque quies ciuitatis obtineretur vel ita, vt sufficiat modica et castigatiōi similis poena, vel sic, vt lenitate poenarum nulla salus parari videatur, sed potius summa fēteritas et acerbitas sit necessario admouenda. Quemadmodum enim molliores medici omnia prius tentanda suadent, si in vulnere nondum immedicabili spes est remediis lenioribus aliquid profici; ita, si a ciuitatum curatoribus idem finis seruandi et tuendi status publici per media leniora attingi potest, sana ratio iubet, remotis durioribus praeferre leniora, quae et magis expedita sunt, magisque tum libertati hominum, tum humanitati lenitatique legislatorum atque adeo prosperitati reipublicae consentanea. Atqui nec defunt species delictorum, nec non dantur delinquentes, vbi saluberrimus finis poenae sine atrocitate teneri potest; quare apertum est, in his malefactorum formis coercendis, hac lenitate potius, quam asperitate vtendum esse.

Salus

cf. SERVIN *de la legislation*
criminelle. p. 44.

Contrarium habet *Perillustis*
de GLOBIG et Ampl. HYATERS.
in Zugaben etc. p. 221,

**) Videatur omnino *Excell.*
CAESAR Vber den Zweck der Stra-
fen; in seinen Denkwürdigkeiten
aus der philosophischen Welt; im
Wien Bande pag. 119.

Salus vero et securitas reipublicae tanquam finis poenarum vniuersalis promouetur pluribus modis, vel, vt alii eiusdem delicti grauitatem sentire et abhorrere discant; vel ita, vt simul et ipse scelestus corrigatur, respiscat et ad meliorem frugem redeat; vel etiam, vt alii cauti fiant, ne facile contra leges peccent; vel denique sic, vt securitas et incolumitas vitae et honorum constituatur aliorum.

Haec mihi esse videntur partes finis totius poenarum, nimirum commodorum et salutis reipublicae. Iam quaero: si facile intelligendum est, delinquentem suo malefacto maxime esse commotum eosque, qui temere in eiusdem delicti periculum delabi possint, iam per leniorem poenam in delinquentem statuendam cautos fieri atque deterreri, securitatemque ciuium per hanc facile posse corroborari, an iustum sit, eandem poenam statuere in hunc infelicem, quam in eum, qui ex malitia deliquit, qui ne signum quidem mutatae mentis edit, et qui multa iam societati ciuili tristitia funestaque minuitur? Nonne fini summo poenarum scilicet communi saluti foret contrarium, si ille eandem poenam luere deberet, quam hic, si reipublica illo ciue, qui animum delinquendi vel plane non habebat, vel euentum tristem prorsus non praeuidebat, priuaretur per vltimum supplicium, qui ex facto suo infeliciter perterritus iam poenam summam animo perturbato patitur et certe aliquando maiori futurus est vsui et commodo reipublicae? Quin etiam supplicia quaedam ad deterrendos



alios a similibus malefactis nullam vim habent, veluti supplicium patris, qui forte inter castigandum filium infelicitate necavit. Huius enim actio castigandi sola causa erat necis improvisae; alii vero scelerati, qui malitia ducti eadem faciunt, cum hoc patre infelici sane comparari non possunt, cum nihil intrinsecus cum eo habeant commune. Ex his cogitur, poenas esse iniustas, quae magis disseminant, quam impediunt mala; porro quando idem finis attingebatur adhibendo minora supplicia. Nam quia maiora supplicia tunc inutilia sunt, sunt etiam iniusta.

§. X.

De proportione poenarum.

Delicta esse inter se diuersa, ideoque varias esse species delictorum, quae vni eidemque generi delicti subsunt, si ad liberam cuiuscunque hominis delinquentis actiones respicere volumus, nemo inficias ibit, quod etiam apparet ex iis, quae supra (§. II.) dicta sunt. Cum vero ex quocunque delicto laesio oriatur, alia vero laesio alia maior sit et nominari possit, sequitur, delicta quoad laesiones, quae inde oriuntur, et maiora et minora esse. Quodsi quaedam delicta aliis maiora sunt, etiam grauiori poena sint coercenda necesse est, quod ex ipsa rei natura repetendum esse videtur. Quum vero haec non solum de diuersis inter se delictis, sed adeo etiam (quippe quod ex natura actionum liberarum supra §. §. II. IV. demonstrata, fluit,) de

de variis speciebus vnius eiusdemque delicti, quod genus appellare liceat, praedicari possint, sequitur, vt etiam diuersae poenae non solum ratione delictorum generatim sumtorum, sed etiam ratione specierum variarum sub genere delicti comprehensarum statuendae sint. Ex his oritur certus modus poenarum atque proportio pro diuersitate actionum liberarum. Quo grauior igitur est laesio, quae ex delicto consulto dataque opera commisso oritur, eo maior adest ratio, periculum auertendi. Quo minori contra gradu laesio laedenti imputari potest, eo minor etiam ratio subest, periculum vterius ab hoc delinquente timendi. Iam ex delictis oriuntur laesiones, grauitas horum vero computanda videtur ex periculo maiori vel minori, futuro vel imminenti, maior igitur causa adsit necesse est et ratio ad auertenda delicta maiora, minor, ad auertenda delicta minora. Ratio, ne delinquatur in posterum eo maior est, vel esse potest, quo maior poena est statuta, vnde sequitur, poenas definiendas esse eo maiores et duriores, quo maiora sunt delicta.

Atrocia vero delicta sane esse mihi videntur, quae maximum periculum reipublicae minitantur, salutemque reipublicae ob malum exemplum plane deturbant atque destruunt. Veluti: si quis ex malitia deliquit, et spem prae se plane nullam fert de moribus corrigendis et vitae via melius instituenda. Excusatiōra mihi videntur, quae ita sunt comparata, atque eius sunt naturae, vt omnino

non pendeant a libera delinquentis voluntate, et ex quibus tam graue et irreparabile damnum, quod et in posterum triste et horrendum sit, non oritur; porro, quae eadem facilitate coerceri atque euitari possunt, irrogando poenam mitiorem, grauiori poena seposita, ita vt huius lenitate idem finis attingi possit, ac illius grauitate.

Ex his efficitur, animo deliberato admissum scelus grauiori poena esse coercendum, quam delictum culpae magis vel negligentiae attribuendum. Maiora igitur delicta, quae animo ad peccandum directo committuntur generatim sumta quidem grauius sunt punienda, quam quae culpae adnumerantur, sed quum alterum huius generis delictum, vt supra (§. II.) ex natura actionum liberarum demonstratum esse censeo, altero maius esse possit, grauitas vero poenae ex grauitate delicti commissi moderanda esse videatur, sequitur, vt maior gradus poenae adhibendus sit in coercendo delicto peruicaciter commisso, minor vero, si animus delinquendi vel plane aberat, vel non studio cupiditateque nocendi inprimis flagrabat.

Nam cum secundum ea, quae supra (§. II.) tradita atque exemplis quibusdam illustrata sunt, delicti magnitudo e magnitudine cupiditatis nocendi, qua delinquentis animus plenus erat, aestimetur et appareat, maiori iure etiam imputandum existimamus, si exitum et euentum infortunatum satis prauidere poterat. Enimvero si delinquens hunc vel non luculenter prauidebat, vel nullo modo

do diuinare poterat, aut minori stimulo animus ad nocendum adigebatur, tunc, si modus valet in rebus, si certi denique fines, quibus vltro citroque nequit consistere re-
 ctum, si, inquam, modus poenae atque proportio locum habere debet, eadem poena statuenda omnino non est. Igitur si improprium ex parte delinquentis occurrit propositum, hoc est, si ex actione libera abhorrens et alienum a mente agentis factum proficisceretur, actioque interna libera externae plane non respondebat, assumere licet, delictum capto consilio commissum, eo grauius esse puniendum ac coercendum, quo acrior aderat animus nocendi, durius, si cum animo, quam si sine animo delinquebatur, lenius vero, si propositum solummodo improprium, hoc est, vt supra explicauimus, non suum, quod cogitauerat, sed alienum ab consilio capto factum, appareat.

Cum vero etiam quaedam delicta sint eiusmodi, vt ex rerum circumstantium nexu, periculum vel damnum ex illis proueniens vel diminuatur, vel augeatur, magnitudoque damni et periculi vel instantis vel imminens magnam vim habeat ad augendam et aggrauandam delictorum atrocitatem, necesse est, vt in coercendis delictis, ad poenam iusta lance statuendam, etiam ad omnes res intercedentes respiciamus. Nam quo magis animus nocendi minuitur, eo magis etiam extenuatur damnum periculumue futurum ex parte delinquentis; cuiusmodi animo nocendi cupido in maius aucto, augetur etiam damnum atque periculum,



riculum, et quo maiori gradu haec omnia reperiuntur, eo maior poena est statuenda, quo minori vero, eo minor poena videtur infligenda. Quae omnia connectuntur cum illis, quae de fine poenarum §. antecedenti dicta sunt.

§. XI.

De Imputatione.

Sed ad rite atque iuste de actionibus hominum iudicandum, non sufficit scire, hunc vel illum esse auctorem rectae vel pravae actionis, sed etiam indagandum est, an ipsius actio ab eius libera voluntate prorsus pependit, et an omnes effectus ex facto eius profluentes agens vel scire vel saltem suspicari potuerit. His rite observatis quilibet facile intelliget, non omnium actionum, licet primo intuitu videatur, eam esse similitudinem et aequalitatem, ut, quamvis forte eiusdem generis videantur esse, eodem modo diiudicari, atque imputari possint. Quot enim sunt actiones, tot etiam se offerunt causae concomitantes, quae iubeant, aliud de his, aliud de illis, secundum illud poetae: duo cum faciunt idem, non est idem, iudicium ferre.

Nam in quibusdam actionibus humanis cernitur agentis plena cognitio rei peragenda siue peractae, atque cuiuscunque exinde profluentis effectus, in aliis deficit haec agentis cognitio vel omnino, vel effectus, dum factum peragitur ab agente non sufficienter perspicitur; in aliis simul concurrunt actiones bonae quidem originis, quibus

bus tamen fortuna non obsecundauit, vel quae a necessariis, immutabilibus naturae legibus reguntur, quas ne prudentissimus quidem praecuidere valet.

Quis igitur est, qui negauerit, has actiones secundum diuersam agentium cognitionem rerum intermediarum, atque effectuum ex actionibus diuersis promanantium non esse pariter eademque ratione diiudicandas atque imputandas? Neesse igitur est, ut ante omnia inuestigetur causa, qua agens ad agendum impellebatur, ut perspiciatur, an penitus mala, an pro parte fuerit, an prorsus bona, an ex parte, et quatenus fuerit, an denique nec bona nec mala, an porro effectus ex actione agentis proueniens ad liberos, an ad minus liberos referri potuerit, an magis culpa, negligentiae, an dolo agentis, an casu fortuito mero aut admixto adscribendus sit. Quibus cognitis atque perspectis neesse esse mihi videtur, anquirere, an eiusmodi actio, quae auctori imputanda est, etiam legi, quae poenam in eiusmodi actionem statuit, eatenus insit, qua inesse debet, quando poena eadem lege determinata auctori irroganda est. Alioquin si sub ea forma actio eiusmodi legi non subest, tunc temperanda poena esse videtur, quoniam plena imputatio locum habere non potest, dum vel agenti plena cognitio rei deerat, vel euentus actionis culpa magis aut fortunae adscribendus est, vel qualiscunque demum alia causa inferebatur, quae a libera agentis voluntate vel nullo modo, vel non absolute pendeat. Ex his

E

effici-

efficitur, vt, si iustitiae laudem in imputando consequi cupimus, veram causam, quae agentem ad agendum impulerat, expiscemur, hanc cum lege praescripta comparemus, ac videamus, an, et qua ratione haec actio, de qua quaeritur legi sublit, an ad illas species referri possit, quae sub lege proposita continentur, et quo modo sit vel restringenda vel dilatanda. Praeterea vero etiam respiciendum esse videtur ad media, quae eligit agens ad finem sibi propositum consequendum, ad eorum qualitatem, ad locum*), vbi delictum commissum est, ad instrumenta**), quae adhibebantur, an eo consilio delinquens haec secum portabat, vt iisdem nocere posset; an haec instrumenta ita sint comparata, vt omnia conferant, ad magnum aliquod malum efficiendum; denique ad effectus ipsos, vtrum prono aluico ex causa atque mediis adhibitis fluebant, an aliunde redundabant.

Ex his facile est intellectu, modum imputationis iustitiae varium esse adhibendum pro ratione et qualitate actionis

*) Sic venatori, qui in silua feras insectans, hominem, quem non videbat, occidit, hoc homicidium leuius imputandum est, quam si alio loco commiserit.

**) Sic verbi causa militi, qui gladium semper secum portare debet, si eo animo non exit, vt aliquem laedat, sed potius ab aliquo

repente offensus atque iram permotus gladium, consilio se defendendi destrinxit et in rixa laedentem enecat, hoc factum plane alio modo imputandum atque diiudicandum est, quam si alius, gladio aut alio telo letifero munitus atque instructus animo alterum laedendi exierit.

nis conditioneque auctoris ipsius, qui hanc actionem vel alienis, vel suis viribus procudebat, quod ex §. sequenti patebit. Quoties igitur quis est causa actionis liberae atque effectus liberi ex hac actione provenientis, toties haec actio agenti potest imputari. Quoties vero agens causa actionis non fuerat, ipsi tamquam auctori etiam non potest imputari. Inde etiam sequitur, ut cesset poena huic actioni lege definita. Fieri quidem potest, ut quis sit causa remotior alicuius facti, sed quoniam ab eius voluntate libera vel nullo modo, vel non vnicè pendeat, pro eiusdem auctore non potest haberi, nec vero etiam ipsi plene imputari.

§. XII.

De Modis atque Gradibus Imputationis.

Iam si de actionibus hominum vel bonis vel malis, et quidem de his secundum legis praeceptionem iuste iudicare contendimus, ut illis praemia, his vero poenae legitimae et commeritae decernantur, ante omnia inquirendum esse censeo: vtrum actio agentis fuerit libera, an non; vtrum summo loco libera praedicanda, an intermedio, vel inferiori; vtrum effectus actionis ex prima agentis intentione recta exierit, an per ambages; vtrum haec illi perfecte, an minus accurate responderit.

Ex his et reliquis, quae supra (§. II. et sequentibus) de actionibus liberis hominum praefandi causa disputata sunt,

funt, fatis superque intelligitur, tam diuerfos et varios occurrere modos atque locos, qui in imputando obseruari necessario debeant, quam multiplices sint et occurrant actiones liberae hominum, quamque dissimiles inueniantur earundem modi atque loci. Ex quibus elucescit, omnem fore imputationem erroneam atque iniustam, quae ex solo effectu desumitur et ubi ad gradus actionum liberarum non respicitur. Hoc vero non est vnicum, quod in imputando considerandum venit, sed necesse simul etiam est, vt, si determinationes, atque iusti modi actionum humanarum inuestigandi sunt, respiciatur ad legem ipsam eiusque vim atque rationem, cui haec actio, de qua quaeritur, subiecta esse censetur. Nam, cum (id quod ex §. VII. de legibus patet) leges quaedam ita sint comparatae, vt vnicam tantum delicti atque hanc solam sub se comprehendant speciem, quodque delictum in plures species non discernitur, diuersosque atque varios modos mutationesque non admittit *), facile est intellectu, hoc in casu similibusque imputationem secundum gradus siue discrimina faciendam fore inutilem atque vanam.

Ex iisdem vero etiam, quae supra (§. VII.) posuimus, elucescere videtur, alias leges eius esse naturae, vt non speciem singularem nominent coercendam, sed tantum genus delicti demonstrent, quod vero quamplurimas varias et suis finibus non assignatas, nec forte definiendas sub se

com-

*) Veluti, si miles castra relinquit.

comprehendit delictorum species. Hoc ubi contigit, quis non videt, imputationem gradatim pro qualitate atque diversis modis actionum liberarum fieri debere? Regulas igitur sibi quisque, cui muneris causa incumbit, de factis hominum iudicare, atque poenas legibus statutas improborum maleficis irrogare, certas et indubitatas ex sanis Philosophiae principiis deriuatas sibi formet necesse est, ut cuilibet facinoroso iusta poena iusta proportione observanda irrogetur.

Quum vero eiusmodi regulae constantes atque perpetuae, quae ad omnia omnino facinora, eorumque tam varias et disiunctas quam frequenter occurrentes species applicandae essent, formari non possint, atque minima accedens causa totam rem persaepe commutet, quilibet facile intelliget, tot regulas non posse proponi, quot valeant, ad omnes delictorum species ita secundum has determinandas, ut non interdum fallant subitaeque mutationi sint obnoxiae.

Sufficiat igitur, in vniuersum quasdam tantum exhibere regulas, secundum quas plurima, ut mihi persuadeo, delicta diiudicari poterunt, et quae ansam praebere mihi videntur, ad alias subiacentes regulas pro cuiusque delicti natura facile ex iisdem deriuandas atque deducendas.

Respicendum autem ante omnia videtur atque inquirendum: 1) Quis sit auctor delicti, de quo quaerendum est; 2) Quae et qualis fuerit causa, qua permotus sit, ad hoc delictum committendum; 3) vtrum in consilio bono, an

improbo versatus fuerit; 4) An actiones bona mente susceptae, sed a fortuna propitia destitutae, vel a solis naturae legibus pendentes occurrerint; 5) An in loco iusto, an alieno delictum commissum fuerit; 6) An immediate ex consilio prauo euentus infelix profuxerit; 7) An rei cognitionem plenam delinquens habuerit; 8) An occasionem quaesierit, atque praemeditato animo facinus admissum inchoauerit et perfecit, an potius repente commotus factum facinorosum exsecutus fuerit; 9) An omnia adiumenta idonea, quae ad scelus perficiendum pertinebant, adhibuerit; 10) An rerum antecedentium, concomitantium et consequentium naturam perfecte et clare intellexerit atque praesenserit; 11) Denique an ex intentione peccantis ipsum proficisceretur, quod cupiebat, factum facinorosum.


Quae si rite inuestigata atque ponderata sunt, tunc secundum sequentes regulas res mihi videtur decidenda:

I. Faciamus apertum esse, aegrem auctorem esse delicti, consiliumque facinoris concepisse, animo praemeditato egisse, auxilia idonea ad finem malum consequendum quaesuisse, elegisse, adhibuisse, nec ullam idoneam sceleris occasionem neglexisse, casuum antecedentium atque concomitantium notitiam habuisse, nec non ad consequentium intelligentiam perfecte et plene penetrasse, eaque praeuidisse, si exinde clarum est, nullique dubio obnoxium, id ipsum ex actione ipsius libera profectum fuisse, quod statim ab initio sibi proposuerat, tunc huic omnis malus effectus, exitus atque

que euentus recte imputatur, poenamque lege determinatam ordinariam iure luit, nam in summo gradu libere egit, secundum ea, quae [§. II. I. a)] praemonuimus.

II. Si vero agens animum quidem ad peccandum maleque et contra leges faciendum conuerterat, sed euentum tam infelicem, qui sequebatur, non spectauerat, nec eum vlllo modo expetebat, huic quidem effectus actionis malae atque euentus, quoniam ex mala intentione prodibat, iure imputandus, sed gradu plane minori atque secundo adscribendus est, ideoque poena lege determinata ordinaria profecto locum habere nequit, sed, quoniam eius actio ex toto non est libera, potius in gradu minori poenae lege statutae consistendum esse videtur. [§. II. I. b)]

III. Contra si agens ne consilium quidem male agendi capesserebat, veruntamen poterat, omni rerum concomitantium caterua rite perspecta et cognita, atque ex connexionerum, actionisque natura, euentum malum, qui reapse sequebatur, argumentando praesentire aut saltem coniectura consequi, sed communi humanae infirmitati obnoxio facultas deerat ad omnia, quae forte euenerant, penetranda, atque iusto modo ponderanda; huic utique malus euentus, qui ex actione eius, quae ne malum quidem finem habebat, propter negligentiam quandam, in qua nihilominus agendo versatus fuerat, imputandus est; sed, malum, quod in euentu apparuit, quoniam parum ab eius libera voluntate pendeat, et magis infortunatae rerum collisioni adscribendum esse



esse videtur, inferiori plane gradu ei attribuendum. Quare etiam poena arbitraria et modica sufficiens, et a grauiori quidem abstinendum erit. [§. II. II. α]

IV. Denique si agens optimo consilio ad agendum incitabatur, praesidia idonea ad opus bonum et inde nasciturum effectum bonum prodendum adhibebat, nec malum euentum, atque operationis suae bonae exitum infelicem ex rerum connexionem agendo suspicari poterat, huic certe, si modo fas est, hunc euentum imputare, gradu quodam exitus infautus est tribuendus; immo potius, haec altera pars actionis eius, quum nullo modo ab eius libera voluntate penderet, imputationi plane non videtur obnoxia, sed potius ad casum fortuitum referenda, ideoque ne poena quidem arbitraria eiusmodi factum eius, qui casu potius quam consilio esset nocens, coercendum esse iudico. [§. II. II. β]

E p i l o g u s .

Plura adhuc erant scribenda, si, quem ab initio nobis finxeramus conspectum operis, eum tenere placuisset. Non tam materia dicendorum corradenda, quam modus tractandorum quaerendus est. Neque vero lectorum patientia fatiganda, nec praefens libellus ita augendus videbatur, ut de proximae, quam edituri sumus, disputationis mensura plus quam par erat, detraheretur. Ergo haec primo specimini sufficiant. Cetera autem, quae ex vniuersalibus, in quibus adhuc versati sumus, de more ad particularia transferenda sunt, altero specimine eoque iuridico exponere conabimur.



N

Leipzig, Diss., 1789 P-Z

VD 18


ULB Halle 3
006 383 351



5b







DISSERTATIO PHILOSOPHICA
EXHIBENS
DE IMPVTATIONE DOLI
INDIRECTI

SPECIMEN I

QVAM
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
AVCTORITATE

DIE XVIII. APRILIS A. O. R. MDCCLXXXIX

AD DISCEPTANDVM PROPONIT
BENIAMIN TRAVGOTT STEINMETZ

ZITTAVIA - LV SATVS

PHILOSOPHIAE DOCTOR, BONARVM ARTIVM MAGISTER
ET IVRIS VTRIVSQUE BACCALAVREVS

ASSVMTO
VALERIO FRIDERICO REICHEL

OBERODERWITIO - LV SATO

LIPSIAE

EX OFFICINA KLAVBARTHIA

1789 27
ho
12

